



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Magistri Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, 1613

Cap. 7. De prude[n]tia in directione spirituu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48543)

educauerit, Religionis bonum, ac proinde gloriam Dei, & salutem proximorum mirifice promouebit.

Cap. 7 De prudentia in directione spirituum.

1 **H**ic principio ponendum est. Nouitios singulos recenter indutos de antea acta vita interrogandos an, pacata conscientia sint, an erga præteritas confessiones aliquem remorsum patiantur, an ex capitibus alijs ad Dei gratiam, & amicitiam requisitis pesturbentur. Deinde ponendum, potissimam primamque curam esse debere, vt qui conscientia remorsu affliguntur, expiata per integram, perfectamque culparum confessionem, conscientia quiescant. Quomodo enim de progressu cogitabunt, qui principio carent? Principio verò carere dicimus, quos conscientia culpæ mortalis nondum abstersæ redarguit.

2 Posito ergo principio, & ingenio, ac moribus cuiusque Nouitij aliquandiu benè perpensis, vnoquoque interrogato, ac de internis actibus, & affectibus, rationem sincere reddente, in spiritibus discern-

discernendis, ac dirigendis multum operæ Magister positurus est.

3. Expendat ergo, quo spiritu discipulorum quisque à Deo ducatur; ne forte illum inopinus extinguat. Spiritum autem hic appellamus, affectum, quo uniuscuiusque animus à Deo ducitur: quo, maiori ex parte, quisque se percipit emolliri, compungi, ad virtutes inflammarī, ad propulsandas tentationes præmuniri. Hunc primum internoscere oportet. Deinde verò ita eum alere, ut anima inde violenter non auellatur, sed sinatur ostensa cœlitus via procedere: quod exemplo subiecto declaramus.

4. Etenim, si quis animaduertit, se confideratis Inferni cruciatibus, mortis, amaritudine, Iudicij seueritate, ad virtutum culturam vel minime affici, vel parum vrgeri, & vna solius æternæ gloriæ meditatione ad omne bonum opus incendi: non expedit ab ea meditatione animam renitentem diuellere, quam voluit singulari eo pasto nutrire, & ad pietatis officia permouere.

5. Idē prorsus inter alia obiecta nobilio-

ra delectus habendus est. Si enim quis infantia Christi, non verò passionis meditatione pascatur; finendus est ibi erudiri, vbi gymnasium ei De^o præparauit. Denique si inter Christi passiones, sola (exempli gratia) crucis gestatio animū mouet; ibi perdurare finatur. Quod enim instinctu Dei agatur; ex eo probabiliter admodum conijcitur, quòd inde, & non aliunde ad pietatem vires hauriat.

6 Quòd si quis, nec in certa vna vnius rei cogitatione persistere valeat, & iaculatorijs orationibus efficacius se impellat; illas frequentet, nec vni meditationi diu cogatur insistere, ne anima coactione illa exacerbetur.

7 Verum est tamen, in prædicto multiplici Spiritus ductu posse latere dolos; dum anima perceptione suauitatis, quæ elicit ex obiecto vno, cætera fastidit: & ibi torpescens, mortificationis opera, & labores formidans, ægrè fert inde diuellii. Propterea opus est, & hos ipsos affectus explorare, & animam inde inuitam ad experimentum nonnunquam auertere. Ut veritate perspecta, vel dolus dete-

detegatur, vel securiùs anima suum partum resumere sinatur.

8 At verò ad hæc prudentiùs discernenda, opus est, cuiusque ingenium percallere, si intellectu polleat, si facillè amet, aut oderit, si informandis rerum imaginibus vehemens sit, aut remissior. Quæ sit orandi ratio, quam obseruat, quæ sit indoles, quàm firma sit corporis cõstitutio, & alia eiusmodi, quæ passim à spiritualibus viris annotantur. Quæ omnia rectè perpensa, atque mutuò collata id præstant, vt qualis sit cuiusque natura, qualis gratia, Magister dignoscat; & vt bonus Dei minister Deo cooperetur, ea scilicet via incedens, quam Deus ostendit.

9 Ex perfecta verò naturæ cuiusque inspectione, & spiritus, quo ducitur, exploratione, decernendum est, qua mensura, contemplatiuæ, siue actiuæ vitæ exercitia vnicuique iniungenda sint. Citiùs enim quosdam modica contemplatiuæ, & maior actiuæ exercitatio ad perfectionem prouehit: quosdam è contrario contemplatio perficit, & actio, nisi modicè admista retardat. Quo tamen

Quo tamen discrimine non includimus communes Religionis actus, quos ab omnibus ad vnguem exerceri necesse est, cuiuscunque ingenij, ac virtutis illi sint.

10 E naturali capitis affectione alia perutilis observatio ducitur. Sunt quippe nonnulli, adeò infirma, & inconstanti phantasia, vt nullum imaginem formare, in nullaquæ fortasse formata persistere valeant. Et videntur operam perdere, quia quicquid figurare conantur, statim dissipatur, ac euanescit. Vnumquæ eis remedium superest ad cogitationem compescendam, carptim scilicet legere, & per interualla, quæ legunt, expendere, quoadusque feruor lectione excitatus elangueat, lectionemquæ resumât. Ij pariter finendi sunt incedere, qua via ducuntur. Non enim via parùm fructuosa, & ad cor permouendum efficax est.

11 E contrario sunt aliqui, adeò vehementer, quicquid libet, imaginatione formantes, vt sibi, paulò minus, quæ cogitant, cernere videantur. Hi coercendi sunt interciso discursu, & interdum acti-

ur

uæ vitæ iniunctis exercitijs, donec discant
vim phantasiæ, ratione temperare, vel
Religioni cõvincantur inepti, si absque
moderatione, & cum aperto diabolicæ
illusionis periculo, imaginibus adhære-
ant.

12 Alij capite parùm firmo à natura
sunt, qui se prolixè orationi vacent,
oneri succumbunt: & in nimiam im-
becillitatem, vel etiam in amentiam fa-
cile incidunt: qui tamen breviori spa-
tio temporis, sine nocumento orare va-
lerent.

13 Demùm in hoc genere Novitij mo-
dum excedere solent vim ad feruenter
orandum, corpore toto facientes, ac si
fructus orationis à Deo extorquendus
esset. Unde capitis læsio, stomachi imbe-
cillitas, sanguinis excreatio; & alia dam-
na dimanât, quibus, sub cursu initium,
noui milites eneruantur. Qui, si duce
prudencia regerentur, sine defectione in
orationis studio perseverarent.

14 Temperanda sunt omnia, ne medi-
um virtutis excedant; ipsa quoque ex-
ercitia, quæ spiritalia, & salutaria ex
genere sunt. Non enim fat est, bona
esse,

esse, nisi benè, hoc est, cum proportione exerceantur. Quapropter & preces ipsæ temperandæ sunt, ad quas noui fratres, ex propria deuotione, aut dæmonis illusione propensiores interdū, quæ ad communes Religionis actus fieri solent. Ijs enim grauantur, ne in rerum internarum studio multum operæ ponant. Quocirca præter Officium Diuinum, Beatissimæ Virginis coronam, Sanctorumque tutelarium commemoraciones, & solitas precationes, quas ad lucrandas Indulgentias recitari mos est, Magister non permittat fratres ijs oneribus premi: nisi causa iusta prius expensa peculiare quippiam alicui permitti debere persuadeat. Pauca hæc, quæ de spirituum directione tradidimus, licet utilia sint, non sunt ea tamè, quæ ad rem tantæ Magistro sufficiant: quamobrem his uideatur, & alia studio multo è Sanctorum lectione, & è virorum spiritualium consultatione requiret.

(?)